



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

100. De Epulone diuite, & Lazaro paupere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

CAP. 100. De diuite epulone, & Lazaro  
paupere. Luc. 16. \* 99.

S. Matthæus S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

**H**Omo quidam erat diues, et induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus: cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed et canes veniebant, et lingebat vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abraham. Mortuus est autem et diues: et sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à lógè, & Lazarum in sinu eius: et ipse clamans dixit, Pater Abraham, miserere me, et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham, Fili, recordare quarecepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnū firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire. Et ait, Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham, Habent Moysen et prophetas: audiant illos. At ille dixit, Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent. Ait autem illi, Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. \* 101.

S 2

Cap.